

05

A

1764





465,

DISPUTATIO PHYSICA,
DE
PRINCIPIIS CHYMICO-
RUM.

Quam

CHRISTO DUCE

In almâ Wittebergensi

SUB PRÆSIDIO

Viri Excellentissimi & Clarissimi,

DN. M. JOHANNIS Sperlingen/

Phys. P. P. Præceptoris colendi.

Publico Examine subjicit

GEORGIUS DECIMATOR

BOBETA PRUSSUS.

Ad diem 12. Maji Anno 1636.

In Auditorio Majori, horis matutinis.

WITTEBERGÆ,

Typis JOBI WILHELMI FINCELII.

DEPARTMENTO PHYSICA
DE
LEONHARDUS CHYMICO.



467 A 764

GEORGIIUS DECIMATOR
BOHITA PUSSE
In A. 1764
KATHEGORE
JOH. WILHELM. IN CELLE





In Nomine Sacro - Sanctæ Triados!

THESIS I.



Non pauci hominum credunt docentq;, nihil aliud præter quatuor Elementa in corporibus naturalibus mistis reperiri. Sed miserè fallunt & falluntur: quia nimis cæcutientibus oculis naturales mitiones atq; resolutiones aspiciunt. Chymici verò penitius naturæ opera pensitantes, cum omnes mistorum qualitates ab Elementis non prodire, nec quasvis actiones ad calidum, frigidum, humidum & siccum sine egregiis confusionibus & contradictionibus communiter referri viderent, alia insuper produxerunt Principia, quæ nec materiam, nec formam, nec Elementa tollerent, sed cum istis Mineralia, Vegetabilia, & Animalia constituerent, operationumq; egregiarum causæ existerent. De His cum in præsentia agendi provinciam susceperimus, Deum veneramur, ut conatui nostro adsit!

II. Quæstionem *An sit* vel *an dentur* Principia Chymica jute meritò præmittimus, cum *quid sit* quærerere, *antequam constet, an sit, nihil sit* quærerere. Plurimi quidem Negativam sequuntur: Nos contra Assertivam tuemur sequentibus argumentis. Primum. *Ubi dantur affectiones & operationes Principiorum Chymicorum, ibi dantur ipsa Principia Chymica.* At qui in corporibus mistis dantur affectiones & operationes Principiorum Chymicorum. Ergò in corporibus mistis dantur ipsa Principia Chymica. Major tantæ est certitudinis, ut in dubium vocari prorsus ne-



sus nequeat. Verissimæ enim & inexpugnabiles Logicorum
sunt regulæ. *Operatio rei arguit rem ipsam; ubi est proprietas rei
vel proprium accidens, ibi etiam est Subjectum.* Undè & Schola-
stici tria naturæ momenta proferunt. 1. *Essentiam.* 2. *Facultates.*
3. *Operationes;* ubi à tertio ad secundum, & à secundo ad pri-
mum legitima semper fit illatio. Minor probatur, quia colo-
res, odores, sapes, esse $\Phi\lambda\omicron\gamma\iota\varsigma\acute{o}\nu$, & plura ejusmodi, lapidi-
bus, gemmis, Plantis, & animalibus insunt, quæ fluunt à Prin-
cipiis Chymicis. Elementa enim quæ præter caliditatem, fri-
giditatem, humiditatem, & siccitatem, cæterasq; qualitates se-
cundas, nihil sapiunt, & in se & ex se prorsus nec sapida, nec
odorata, nec colorata, nec inflammabilia sunt; non possunt
producere sapes, odores, colores, inflammationes, qualita-
tes à primis & secundis illis qualitatibus diversissimas. *Agens
namq; non agit ultra virtutem suæ speciei, neq; potest efficere ea,
quæ ipsum non habet, cum ut res se habet in Essendo, ita quoq; se
habeat in Causando.* Neq; Elementorum mistio novas largi-
tur vires, sed priores potius frangit ac minuit. Certè nulla Ele-
mentis ad qualitates hæc producendas inest potentia: ni-
hilq; quod etiam in specie aliquam probabilitatem habeat,
afferri potest. Quod si enim sapor fit per calorem à sicco ter-
restri, ut dicunt, in humido aqueo; cur tot res siccissimæ sunt
sapidissimæ: Si odor in calido & sicco consistit, cur tot res fri-
gidæ & humidæ sunt odoratissimæ, & tot calidæ & siccæ ino-
doræ? si color fit ex perspicui cum opaco commistione, cur
non hæc commistio imprimis in sulphure exhibetur, cum sul-
phur, ferri, cupri aliorumq; metallorum accensum semper pe-
culiarem in flamma colorem exhibeat: Si inflammabilitas re-
bus convenit ob siccitatem, quæ fit, quod res actu humidæ flam-
mam concipiant, ut Spiritus vini & naphtha? si raritas facit in-
flammabilitatem, cur non accenditur pumex aut aer? & si ab
Elementis veniunt qualitates occultæ, ut volunt; quodlibet fiet
è quolibet.

III. Secundum. *In quæ resolvuntur corpora naturalia, ex iis
constant. Sed non saltè in Elementa, verùm & in tria ista Princi-
pia*

pia Chymica resolvuntur corpora naturalia. E. etiam ex iisdem constent necesse est. Major nititur canone illo: in qua quid resolvitur, ex iis constat. Minor probatur, quia Metalla, Plantæ, & Animalia per resolutiones multum Sulphuris, Salis, ac Mercurii de se spargunt. Mista enim non in nuda Elementa, sed maximam partem in mista alia per resolutionem abire, testis est Experientia. Sit communissimum exemplum. Si lignum viride admoveatur igni, flammam non concipit, donec aquæ humiditas exhalet. Ubi non existimandum, nihil nisi aquam è ligno viridi igni admoto exhalare; mordicatio enim illa, quam oculis intert ille fumus satis docet, aliud quid præter aquam resolutam adesse. Scilicet evolat cum aquâ Sal volatilis, & ille ipse est, qui oculos ferit. Postquam aquæ illa humiditas absumpta est, maxima ex parte oleaginosum illud & pingve, quod Chymicis Sulphur est, (licet omne Sulphur pingve non sit) inflammari & flammam liberiolem dare incipit. Restant tandem cineres, quibus Sal residuus est, & aquâ affusâ facile à terrâ separatur. Patet itaq; ex ligno viridi non nudum vel aërem, vel ignem, vel alia Elementa exhalare, sed evolant & alia Elementis admista: evolat Sal volatilis, evolat & elevatur etiam Sulphur, evolat quoq; cum Sulphure ac Sale Mercurius.

IV. Licet autem hæc Principia planè sincera & ab omnium rerum aliarum admistione libera exhiberi non possint: tamen id nihil refert. Communiter enim ex resolutione corpora naturalia mista ex Elementis constare probant: interim prima pura Elementa nullibi monstrare possunt, quæ tamen non solum Mistorum gratiâ sunt facta, sed etiam ut mundum integrent. Hæc autem Principia Chymica eò fine creata sunt, non ut ipsa per se aliquam corporis naturalis speciem seorsim existentem constituent, sed ut Mistorum duntaxat sint Principia. Itaq; nec Chymici obstricti sunt, pura illa Principia exhibere: sufficit, si corpora, in quibus excellunt, monstrant.

V. Negantem thesin stabilire Nonnulli conantur multis modis; sed quam infirmiter hoc fiat, unum atq; alterum argumentum

mentum examinando ostendemus. Dicunt: Chymicos frustra
comminisci nova Principia, siquidem præter nomina nova nihil
novi afferant. Nempè quæ Aquæ propria sunt Mercurio ascribunt;
quæ Aëri maximè conveniunt, Sulphuri attribuunt; quæ Terra
aptissimè congruunt, Sali accommodant. Verum dicunt, non
probant. Longè enim differunt Aquæ & Mercurialis pars Chy-
micorum; longè differunt Aër & Sulphur; Terra quoque & Sal
longè differunt. Propriè quæ Aquæ est, edere actiones totius
Substantiæ, & esse causam occultarum qualitatum? Aërine
convenit, gignere odores, inflammationum causam esse, &
corpora colorata reddere? Terræne competit, saporem, con-
cretionem & coagulationem corporibus naturalibus dare?
Et quamvis Sal, Sulphur & Mercurius nunquam inveniantur
sine partibus terrestribus, Aëreis & Aqueis, non tamen putan-
dum, *Murem farinâ aspersum, Dominum Pistrini esse*, ut Scaliger
hoc mihi de suo largiatur.

VI. Sed instant: *quæquam Aër, Aquæ, & Terra illis qualita-
tibus prædita non sunt, illas tamen beneficio mixtionis efficiunt; sicut
& Anima corporis atque quantitatis efficiens est, licet ipsa non sit
corporea & quanta.* Committunt hic Principii petitionem. Id
enim in quæstionem nunc venit, an Elementa, quæ nec sapida,
nec odorata, nec colorata, nec inflammabilia sunt, sapores, odo-
res, colores, inflammationes & occultas qualitates efficere queant.
Sanè Elementa, sive agant κατ' ἐνέργειαν, sive κατ' ἐντελέχειαν,
qualitates hæc producere non possunt. Non κατ' ἐνέργειαν;
alias formaliter in se illas haberent, quod nemo concedit. Ne-
que etiam κατ' ἐντελέχειαν; cum enim talia agentia absque Sub-
jecto habili in actum non exeant, recipiaturque δύναμις & actio
eorum non nisi pro captu patientis; monstrandum est Subje-
ctum illud, in quod, dum agunt Elementa, odores, sapores,
colores resultent, & imprimis quidem modus est explicandus.
*Simile prolatum nihil probat; nam nullum simile probat, sed rem
antea probatam saltem illustrat:* Ubi ergo nulla probatio, ibi
quoque nulla *Similis* habenda est ratio. Imò *Animam corporis &
quantitatis causam efficientem esse, falsum est.* Non enim ex non
quanto, quantum, & è non corporeo, corporeum facit: sed sal-
tem

rem id, quod antea quantum & corporeum est, certo modo format & determinat.

VII. Porro excipiunt: Res quasvis in ea resolvi, e quibus constant, perpetuum non esse. Humores enim mutantur in excrementa vitiosa, & caro mutatur in vermes, nec tamen ex his constant. Sic & notum est, ex ovo fieri pullum, & ex sanguine carnem, nec tamen pullus mutatur in ovum aut caro in sanguinem. Verum fit hic & contradictio & Distinctorum confusio. Contradictio; quia in controversia de Elementorum numero Ipsi ita procedunt: In qua quid resolvitur ex iis constat, In quatuor Elementa mista resolvantur; Ergo ex quatuor Elementis Mista constant. Confusio Distinctorum fit, quia confunduntur resolutiones ultimae cum intermediis, Principia propria cum communibus, & Materia immanens cum transeunte. Rem quamlibet resolvi in ea, e quibus constat, verum est de resolutionibus ultimis, sive simpliciter, sive secundum quid talibus, non vero de intermediis; verum quoque est de Principiis communibus, quae omnibus aequè insunt, non de propriis & & proximis, quae cuique generi peculiaris sunt; verum denique est de materia Immanente, quae in re materiata & effecta permanet suamque naturam retinet; non de Transeunte, quae non manet in re effecta, sed mutatur & formam accipit aliam, ita quidem, ut priorem recipere non possit. Sic Mista resolvuntur in Elementa & Principia Chymica, quia hic adest materia immanens, adsunt Principia communia, adest etiam resolutio ultima. Secus autem res se habet de excrementis, vermibus ovo, & sanguine.

VIII. At inquis: canon ille; in qua quid resolvitur, ex illis constat; de naturali resolutione accipiendus est. Chymicae autem resolutiones sunt artificiales, adeoque, ab iis ad opera Naturae argumentari non licet. Ut enim Deus & Natura contra distinguuntur, sic etiam Natura & Ars. Respondeo per Inversionem: Chymicae resolutiones sunt magis naturales, quam artificiales, & recte ab illis ad opera Naturae argumentamur, Naturales enim sunt respectu causae Efficientis proximae, respectu materiae, respectu rei productae, & respectu motus, quo res producta fuit.

Artifi-



Artificiales tantum sunt quatenus Chymicus, qui Minister Naturæ audit, herbam vel aliud corpus naturale dissecat, vitro injicit, vitrum luto claudit, fornaci infert, ignem accendit, & certos caloris gradus subministrat. Ex quò relinquitur, rem, quæ à Chymico resolvitur, planè eò modò esse artificialem, quò Sanitas, quæ Medici operâ recuperatur, dici artificialis potest. Plus Chymicum conferre, aut Artem aliquid ad essentiam harum rerum facere, (*Artificiales enim res dicuntur, quæ secundum suam Essentiam, & quatenus tales non à Naturâ, sed proximè ab Artifice dependent*) nunquam monstrabitur. Cæterum de resolutionibus corporum naturalium rectius judicatur ex operibus artis, quàm ex Naturæ operibus. Nam in operibus artis nihil avolat, quia vasis clausis omnia administrantur; hincq; partes resolutæ reservantur & aliæ ab aliis facile discernuntur. Contra in Naturæ operibus partes resolutæ in auras sparguntur & aufugiunt, neq; ad examen se sistunt.

IX. Objiciunt & illud: *Inflammabilitas convenit rebus propter siccitatem & raritatem, undè ligna arida & stramina facile flammam concipere experientia testatur. Ergò frustra hujus qualitatis peculiare fingitur Principium, Sulphur.* Resp. Si inflammabilitas ob siccitatem rebus cõpetit, quæ, quæso, causa erit quod res actu humidæ, ut supra quoq; dictum, flammam concipiant? Si raritas inflammabilitatem facit, cur non pumex aut etiam aër accenditur? Sanè licet res sint siccissimæ & rarissimæ, tamè si nihil, aut parum Sulphuris contineant, accendi non possunt. Equidem siccitatem & raritatem corporis ad facilem inflammabilitatem in quibusdam facere Chymici asserunt, res autem aridas & raras inflammari ob ariditatem & raritatem, negant. Etiam si n. res sit rarissima & aridissima, tamen si Sulphur absit, non inflammatur. Sic papyrus cum accenditur & comburitur, tum id, quod remanet, siccissimum & rarissimum est, ac tam leve, ut levissimo etiam Spiritu dispergatur, nec tamen flammam amplius concipere potest, quia Sulphur inflammabile deflagavit.

X. Enodatâ quæstione, an sint Principia Chymica, nunc, Quid & Quot ea sint, dispiciendum est. Verùm circa corticè hîc versamur,

769.

versamur, & nucleum invenire nequimus; vas vitreum instar vul-
peculæ à ciconiâ elusæ lambimus, pulstemq; vix attingimus. Do-
ctissimi enim quique & maximè ingenui cōqueri necesse habent:
latere Naturas has, sicut & alias rerum species, in profundissimâ ca-
ligine humane inscitia. Cum tamen cara sint, quæ rara sunt, re-
rum difficultas calcar addat euntibus.

XI. Itaque ne *equi* (ut ajunt) *posteriora frenemus*, cum omnis,
quæ à ratione suscipitur de aliquâ re tractatio, à Definitione, ut
ille Romuli Nepotum disertissimus præcipit, proficisci debeat;
illi confestim nos accingimus, & talem exhibemus.

XII. *Principia Chymica sunt corpora naturalia, in primâ creatio-*
ne cum aliis rerum naturalium speciebus à Deo condita, ut istarum
una cum Elementis essent Materia, peculiarumq; & affectionum
& effectuum causa.

XIII. *Definitum sunt Principia Chymica.* Principia intellige
Specialia. Ita n. communiter Physica Principia constituendi di-
stingvuntur, ut alia sint Generalissima, quæ duo, Materia & For-
ma: alia Generalia, quæ quatuor Elementa: alia Specialia, quæ
tria; Sal, Sulphur, & Mercurius: alia Specialissima, quæ tot sunt,
quot species in mundo sunt. *Chymica* vocantur ab Inventori-
bus, qui Chymici dicuntur $\delta\pi\omicron\tau\epsilon\tau\omicron\chi\upsilon\mu\iota\kappa\omicron\iota$ vel $\chi\epsilon\epsilon\omicron\delta\gamma$, quod est fun-
dere & liquare; seu $\delta\pi\omicron\tau\omega\upsilon\chi\upsilon\mu\omega\upsilon\upsilon$, à succis, quod scilicet Me-
talla dura, visceribus terræ effossa, liquare & in succos fundere
doceant. Neq; tamen, ut nonnulli opinantur, circa metalla
tantum & Mineralia versatur Chymicus, quatenus scilicet illo-
rum ignobilium transmutationem in nobiliora, vel utilium me-
dicamentorum ex illis elaborationem sibi habet propositam: sed
copiosam quoque, in quâ artem suam exerceat, materiam vege-
tabilia & Animalia suppeditant. Atque ita circa omnia corpora
naturalia concreta, quæ resolvenda, purificanda ac elaboranda
artificiose, Chymicus operatur. Unde & *Chymia* salutatur *Ars*
corporum naturalia composita, in illa, è quibus naturaliter constant, re-
solvendi, resolutaq; purâ & viribus validissima reddendi, ut utilia
medico prabeant remedia, vel Metallorum perfectionibus & trans-
mutationibus inserviant.

B

XIV. *Generis*

XIV. *Generis loco in Definitione sunt Corpora naturalia.* Non enim hîc res est de Principiis Generalissimis, Materia scilicet & Forma: quô sensu Sal, Sulphur, & Mercurius Principiata sunt, nō Principia: sed intelligimus Principia sui ordinis, quæ licet sint cōposita, tamen respectu aliarum rerum magis compositarum & ex his constitutarum, Principia vocantur.

XV. *Corpora hæc Naturalia tam latè autem non sunt extendenda, ut ante Illa, quæ vulgò Elementa vocantur, corpora constituantur; (sunt enim qui non solum Elementa simplicia, sed & cælum ipsum ex iis componunt) sed rectius dicuntur esse Prima Mistra, vel peculiare Naturæ in primâ creatione cum aliis mistis conditæ, seu Principia sui generis, quæ cum inter se, tum etiam cum Elementis, vario modo mista, aliis rebus naturalibus generationi atq; corruptioni obnoxiiis convenientē Materiam dant. Suus enim locus Elementis, suus his Principiis dandus est: & tam Elementa, quàm hæc Principia Chymica in Mistorum constitutione admittenda. Quippe ex Illis, caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas: Ex His odores, sapes, & hujus generis qualitates aliæ deducendæ. Prima Mistra dum dicuntur eò ipsò Elementa ad Illorum constitutionem concurrere innuitur; sicut fidem huic assertioni resolutiones Chymicæ faciunt. Nec tamen, quod probe notandum, simpliciter mista, vel ex Elementis tantum variè mistis conflata sunt: sed peculiare formas, quæ ipsis Esse, Operari, & Distingvi cum à se invicem, tum ab aliis, largiuntur, habent. Suam enim cuiq; Formam à Deo Omnipotente in prima creatione, datam esse omninò existimandum.*

XVI. *Differentiam sequentia Definitionis verba delineant, ubi notetur 1. Principia hæc Chymica in primâ creatione cum & in aliis rerum naturalium speciebus esse condita. Deus namq; cum composita creavit, concreavit etiam Principia: & ut cælum sine Materiâ & Formâ nō fecit; ita nec Mineralia, Vegetabilia, & Animalia sine Sale, Sulphure, & Mercurio produxit. 2. Horū Principiorum usum esse, tum ut ex iis variè mistis, concurrentibus tamen Elementis, Metallorum, Plantarum, & Animalium materiæ seu corpora formetur, & pro ratione variæ determinationis, quæ*
à va.

à variis formis specificis fit, variæ species cōstituantur; tum quoq; ut ex iis, tanquam ex proximis & propriis Principiis, Proprietates, quæ corporibus mistis insunt, nec ex Elementis demonstrari queunt, deducantur atq; harum beneficio peculiare operationes edantur.

XVII. Horum Principiorum tria vulgò ab omnibus Chymicis constituuntur: *Sal, Sulphur, & Mercurius*. Hæc nomina quis primùm usurpaverit, & an recentiores Chymici ea finxerint, an à majoribus suis acceperint, incertum est: cum nec libri omnium Antiquorum ad nostras manus pervenerint, nec Chymici semper in vulgus sua ediderint, sed successoribus per manus tradiderint. Quare missis nominibus nunc ad rem ipsam propiùs accedimus, in Essentiam atq; Naturam horum Principiorum paulò altius, breviter tamen, cum prolixè hoc exsequi fas non sit, inquisituri.

XIX. *Sal est Principium Chymicum, saporis gignens, in humido liquefcens, in sicco concrefcens, rebusq; naturalibus certam concretionem & coagulationem tribuens.*

XIX. Definitum *Sal*, nomen accepit à sale esculento, specie scilicet, in quâ facultates ejus maximè vigent: Atquè ita nomen speciei generi tributum est. Non enim *Sal esculentus* tantùm *Sal* est, sed & ille, qui in sinapi, raphano, allio, aceto, alumine, & similibus sapidis delitescit. Sunt & olea destillata pleraq; sapida, ob *Salem* volatilem, quem cōmixtum habent, qui etiam *Sal* est, non verò ob *Sulphur*, ut sinistrè quidam censent.

XX. *Genus* est Principium Chymicum. *Salem* enim è corporibus naturalib; mistis arte Chymicâ elici, Experientia testis est. Et certè pertinacem esse oportet, & à Chymicâ planè alienum, qui hoc negat: eòq; ipso palàm facit, se *Salem* verum, arte Chymica paratum, non vidisse, nec, quid vere *Sal* sit, scire. Complures quidem terrenis partibus solùm accidere putant, ut propter igneam exhalationem in salsam qualitatem mutantur: rectius verò Chymici *Salem* rebus inesse, cumq; arte Chymicâ, sine adustione etiam, è rebus separari statuunt.

XXI. Nam non ustione solùm cineribus ob exhalationes igneas qualitatem salsam induci, sed *Salem* verum & naturalem reverà inesse, vel ex eò patet, quod ubi *Sal* ex cineribus aquæ af-

fusione diligenter est extractus, reliquam terrā etiam si uras atq;
aduras, quantum potes, quantumq; libet, ne micam salis tamen
elicere exinde queas. Quid? non ex terrā aut re adustā quālibet,
neq; ex omnibus etiam eādē copiā Sal elicitur. Sint exemplo
lateres, qui calore maximo indurati, licet terantur sæpiusq; aquā
perfundantur, nihilominus vix quicquam Salis elargiuntur. Ex
plantis quoq; nonnullis magna; ex nonnullis verò exigua, aut
nulla planè Salis copia extrahitur.

XXII. Addo & illud, quod ad Salem eliciendum, non semper
magnā illā, & quæ ad incinerationem ducit, ustione opus est.
Sufficit enim calor non ita magnus ad Sales eliciendos volatiles:
immò nulla sæpè numero calcinatione ac ustione Sales volati-
les è plantis paratur. Quin & terræ plurimæ, ut & columbarum
fimus, aquā solūm perfusæ, nitrum vel Salem petreæ suppeditant;
ut hæc omnia artis Chymicæ peritis notissima sunt. Proinde sic-
ut destillatæ aquæ, quæ ex plantis extrahuntur, non caloris sunt
opera, sed calore saltem illo separantur; ita quoq; Sales non per
ignem fieri censendum, sed id officii genus solūm ab eò præstari,
ut partes Sulphuræ & aliæ secernantur, solusq; Sal relinqvatur,
qui affusā aquā educi deinceps ac elui etiam possit.

XXIII. *Differentia* sumitur à tribus potissimum Salis proprie-
tatibus. Nam 1. *Sal est primum sapidum & gustabile.* Ubicunque
enim sapor deprehenditur, ibi Sal est; & ubi Sal, ibi sapor. De-
monstratur hoc eādē ratione quā ignem esse calidum & aquā
esse frigidam probatur, sensu nimirum, qui hoc ipsum satis abun-
dè comprobatur. Juscula cum sunt insipida, aliquid duntaxat opti-
mi illius condimenti, Salis nempe, immittitur, & protinus sapor
egregius deprehenditur. Hinc & Chymici è corporibus sapidis
Salem elevant, eaq; insipida reddunt. Communiter Authores
quatuor saltem Elementis inhaerent, & ex illorum qualitatibus
sapores deducunt, ut superius quoq; th. 2. dictum, undè & Sapo-
rem definiunt, quod sit *qualitas corporis misti, à sicco terrestri in hu-
mido aqueo per calorem generata.* Verūm licet corporibus sapidis
saliq; ipsi admista esse dicamus Elementa: tamen præter Elemen-
ta adhuc altius quid sapores sapere, formamq;, à quā fluant, ex-
excel-

excellentiorem requirere omninò cum Viris Clarissimis arbitramur. Ratio namq; saporum ab Elementis est satis diversa, nullaq; Elementorum ad gignendos saporos potentia est. *Quemadmodum enim neq; vita prodit ab Elementis, neq; risus, neq; sensus, neq; intellectio, neq; incrementum, neq; motus voluntarius, sed à formis aliis, quàm Elementaribus; ita Sapor quoq;:* verba sunt subtilissimi Scaligeri lib. 1. de Plantis. Præterea cum gustus atq; tactus sint cognati sensus, habeantq; cognata objecta: Sali etiam merito acrimonia ascribitur, & quæ tactum vellicant, beneficio Salis id præstant. Hinc vis illa mordicandi oculos in fimo, raphano, nasturtio, cæpis & similibus, à volatili Sale est.

XXIV. II. *Sal in humido liqvescit, & in sicco coagulatur.* Id quod iterum Sensus probat. Experimur n. omnes, aquam liquefacere Salem, ignem verò eum vicissim coagulare. Quod notasse prodest contra Hostes Principiorum Chymicorum, qui Salem nihil aliud, quam terram esse contendunt. Etsi enim terra ab aquâ dilui & cum eâ misceri possit, nunquam tamen in eâ liqvescit, ut Sal, sed statim ab aquâ rursus separatur ac fundum petit. Immò Sal quoq; liqvescit in aëre humido, quod terra nunquam patitur.

XXV. III. *Sal rebus certam dat concretionem & coagulationem.* Nam res omnes, quæ concrescunt, Salem continent, & ubi Sal non est, nulla fit concretio, quod Experientia nos docet, cui contradicere qui audet, τῆς διαβολῆς ἀπώστια laborat, & graviter domi decumbit. A Sale Crystalli est concretio; à Sale Adamantis durities; à Sale Auri soliditas; à Sale Metallorum robur; à Sale Ossium, arborum, & herbarum consistentia est. Sal itaq; πρῶτον δυνάμει est concretionis ac solidationis: quod qui negat, aliud monstret necesse est concretionis & coagulationis Principium. Frustra ad externas causas hic recurritur: frustra qualitates primæ coagulationum causæ statuuntur. Nec enim exsiccatio, nec calor, nec frigus hic locum, ut causæ primariæ, habere possunt; (Nam partim ut causas Instrumentales, partim ut causas sine quibus non, admittimus) neq; ab ullo hætenus monstrari potuit, quomodo vel calor, vel frigus, vel siccitas, vel humiditas ex sese talem concrescendi dispositionem generare, & succum lapidescentem

scientem producere possit. Interna potius Materie dispositio atque internum concretionis Principium est inquirendum ac respiciendum: quod præter Salem aliud nullum esse, Inductione manifestum est.

XXVI. Cum verò concreta & coagulata omnia non sint ejusdem generis, notandum venit, non attendi hinc ea, quæ siccitate solâ coagulantur & indurescunt, humiditate absumptâ, quâ antea diffuebant aut emolliebantur; vel quæ suâ naturâ concreta fuerunt, calore verò fluida reddita sunt, rursusque frigore accidentente concresecunt: sed sermo est de iis, quæ in humido coagulantur & concresecunt. His concretionem largiri Salem dicimus, quam quidem proprietatem non à calore vel frigore habet, sed à suâ formâ, quæ domicilii sui architecta est.

XXVII. Duplex autem, quæ datur in Naturâ, Concretio probe observanda & à se invicem distinguenda est. Una salium propria est & à Chymicis germanico vocabulo (latino enim, quod sit conveniens, destituuntur) vocatur Schiessen. Videre est hæc concretio in sale esculento, vitriolo, alumine, nitro, in Salibus ex Plantis paratis, in Sale in destillatione Succini, urinæ, cornuum, & ossium: quæ omnia concresecunt sine exsiccatione in ipso humido, & ex fluiditate in consistentiam mutantur. Omnis enim Sal suâ naturâ ad coagulationem tendit, ob suam, quam Creator ei indidit, formam. Neque hujus rei causa dari potest alia: sicut nec, si quærat, cur aqua sit frigida, causa alia reddi potest, quam quod hæc ejus sit natura, quodque talem formam, à quâ frigiditas fluat, habeat. Cum verò alia Natura & Forma Specifica nitri sit, alia vitrioli, alia aluminis, alia Salis communis: quilibet Sal secundum formam suam, à Spiritu formativo sibi proprio, hæc vel illâ figurâ concresecit & coagulatur, quomodo & ipsæ gemmarum figuris certis concresecunt. Altera concretio appellatur lapidescencia, non violenta, quæ beneficio ignis fit, sed spontanea, quæ ab interno Principio provenit, cujus causa proxima & adæquata non sunt Elementa, nec Principia Chymica sola, sed succus seu spiritus ille lapidificus in specie ita dictus, qui, licet sine Sale non sit, plus tamen, quam Sal, in se continet: siquidem hic ordo in Natura est, ut à simplicioribus ad magis composita progressus

gressus semper fiat. Atq; hæc concretio propria est lapidum & gemmarum: eamq; habent non beneficio Salis, sed Spiritus, ut dictum, lapidifici, qui à Deo Optum. Maxi. creatus ac terræ infusus est, quiq; secundum Formas lapidum & gemmarum specificas, ut & materiæ diversitatem, variarum quoq; coagulationum secundum duritiem & figuras causa existit.

XXVIII. Præter enumeratas tres, dantur & aliæ adhuc Salis proprietates. Scilicet mirabili Sal pollet penetratione, dissolvit, detergit, putrefactionem prohibet. Quæ, cum omnibus consent, brevitatis ergò in præsentia unà cum aliis, quæ huc facere videntur, mittimus. Illud saltem, antequam ad Sulphur, alterum Chymicorum Principium, nos accingamus, subjiciendum est, quod res fermè naturales mistæ omnes duplicem Salem contineant, unum Volatilem, alium Fixum. Ille est, qui ignem & calorè non sustinet, sed avolat, ac calcinatione discutitur evanescitq; Hic, qui sustinet ignem & in cineribus relinquitur.

XXIX. *Sulphur est Principium Chymicum, odores gignens, inflammationes causans, & corpora naturalia colorata reddens.*

XXX. *Definiti eadem, quæ Salis est ratio. Scilicet Speciei nomen & hic Generi est tributum. Genus est Principiū Chymicum. Chymici namq; in corporibus naturalibus mistis Sulphur deprehendi docent, quibus sanè fides non est deroganda. Nulla enim demonstratione hic opus est, sed sensu potius; Cui fidem denegare & demonstrationes poscere, intellectus infirmitas est.*

XXXI. *Differentia itidè à tribus Sulphuris proprietatibus petitur. I. enim Sulphur est primum odorabile. Argumentor.: quocumq; dato, mutato & sublato, ipse quoq; odor datur, mutatur & tollitur, illud est primum odoris Principium. Sulphure dato mutato & sublato, Ipse quoq; odor datur, mutatur & tollitur. Ergò Sulphur est primum odoris Principium. Majorem omnes cordati concedunt. Minori fidè Experientia facit, quæ mōstrat Sulphur ibi esse, ubi odor est, & ubi odorè; ubi Sulphur, hōc q; mutato & sublato, ipsos etiā odores mutari & tolli. Chymici n. facilimo negotio res odoratissimas Sulphuris variatione & educatione vel parū vel minimè odoratas reddere valent. Accedit & hoc, quod vel minima Sulphuris portione accensâ odor immensus excitatur; quod sanè non fieret,*

nisi odoris causa efficiens Sulphur esset. Et licet in nonnullis Sulphureis odor nullus percipiatur, id tamen in integris solum fit, in resolutis manifestissime percipitur. Quippe complures sunt res odoratissimæ, quæ tamen nullum odorem de se spargunt, nisi vel contritæ vel accensæ: non secus ac vinum actu frigidum apparet, etsi calidissimum sit.

XXXII. II. *Sulphur est primum Φλογιστόν seu inflammabile.* Nam nihil inflammatur sine Sulphure: quod quidem adeo manifestum est, ut à Nemine negari possit. Nec Elementa pura, ut ignis & aer, inflammantur, sed si inflammari videntur, ob sulphureos vapores admixtos hoc contingit. Et quod in re inflammata videtur, non ignis purus est, sed cum res comburitur, sibi, quod vulgi oculos fallit, non animos latet Sapientum, sumit ac servat ignis, ut *Scaligeri* verbis utar. Neque aer inflamatur & ardet, sed Sulphur. Ut enim rara omnia multum aeris, pingvedinis autem minimum, in se continentia, facillime in largissimam flammam convertantur, difficilius verò pingvia ferè omnia à flamma corripantur: Sciendum tamen, aliud esse querere, quare res sit inflammabilis: aliud quare sit facile inflammabilis. Illud à Sulphure; Hoc à raritate, supposito nihilominus Sulphure, habet. Nec pingvedo & Sulphur idem sunt, siquidem in multis Sulphur reperitur, quæ pingvia non sunt, adeoque nec semper in formâ oleosâ & pingvi apparet Sulphur, sed etiam in Spirituosâ. Videmus hoc in Spiritu vini, qui Sulphur suum, ob quod inflammatur, habet; pingvistamen seu oleosus non est. Itaque raritatem corporis ad facilem inflammabilitatem in quibusdam facere faciles damus; potestque res parum Sulphuris & oleositatis in se continens, si rara sit, nihilque in se habeat, quod inflammabilitatem prohibere possit, facilius inflammari, quam alia, quæ Sulphure abundat, partes tamen alias inflammationem prohibentes, admixtas habet. Notabile & illud videtur, quod ex chalibis & silicis attritu ignis generetur, ob Sulphur accensum, quod vel odore percipitur. Si enim id fit, ut quidam volunt, per subitam aeris in ignem mutationem, cur res aliæ æquè duræ, si inter se collidantur, aerem in ignem non mutant, contra verò res non ita duræ, ut sunt arundines Indicæ, inter se collisæ, ignem & flammam cum manifesto Sulphuris odore emittunt.

XXXIII.

XXXIII. *Sulphur est primum coloratum.* Pro variâ enim Sulphuris misturâ varii surgunt colores, ut apertè videmus in gemmis, Metallis, cæterisque corporibus naturalibus. Communiter quidem colorum naturam deducere conantur vel ex perspicui condensatione, vel ex perspicui cum opaco aut qualitatibus Elementarium inter se commixtione: sed minus sufficienter. Ipsi enim, quomodo ex condensatione perspicui aut ex perspicui cum opaco, qualitatibus Elementarium inter se commixtione color aliquis suboriri possit, non docere, nec aliquid saltem speciosi pro obtinendâ hac suâ opinione proferre queunt. Condenset quis, ut ut velit, aërem, qui perspicuus maximè est, nunquam tamè producere colorem aliquem poterit. Misceat quis & remisceat, ut ut velit, aut Elementa inter se invicem, aut perspicuum cum opaco; inde tamen non magis color, quàm risus, orietur. Et sanè quid qualitates elementares cum coloribus rei habent, quorum natura ab iis est alienissîma? Chymici ergò rem intimius attingere videntur, quando Sulphuri coloris rationem adscribunt. Sulphure namque mutato ipsos quoque colores mutari deprehendunt, ac in resolutionibus cum artificialibus, tum naturalibus, extractio Sulphure, ipsa etiam corpora resoluta coloris expertia relinqui experiantur. Quamvis v. & hîc dubia occurrant plurima: coloris n. causa atque Essentia tam controversa atque intellectui obscura est, quàm ipsi visui est manifesta; tamen, cum meliora monstrari non possint, Chymicos hîc suo sensu abundare patiamur, & in doctrina illorum acquiescamus.

XXXIV. Quemadmodum verò Sal omnis, ita & Sulphur omne non solum aliquam nominis convenientiam inter se habet, sed unam quoque Essentiam participat: & sicut revera Sal fossilis, coctilis, marinus, alumen, vitriolû, Sal armoniacus, Sales plantarum, de quâdam communi Essentiâ participant; Sic & Sulphur vulgare, bitumen, naphtha, succinum, communem quandam Essentiam, ac ob eam communia quædam accidentia habent.

XXXV. *Mercurius est Principium Chymicum, liquidum & Spirituosum, actionumque totius Sustantie, & qualitatibus occultarum causa.*

XXXVI. *Definitum dupliciter à Chymicis accipitur 1. in genere pro Principio cum Sale & Sulphure communi. 2. in specie*

cie pro argento vivo. Hoc, quid sit, clarum; Illud verò obscurum est. Quid illud sit, quod Chymici unanimi ferè consensu pro tertio Principio ponunt, & Mercurii nomine exprimunt, malo dicere, non liquet; & meam seu ignorantiam, seu dubitationem ingenuè confiteri, quam pro demonstrationibus & solidâ veritate ea venditare, quæ dubitationibus non carere ipse scio; ait Philosophus ac Medicus celeberrimus Dn. D. Sennertus, næ magnus, vel ipsâ invidiâ teste, VIR.

XXXVII. Quare cum Principii hujus Essentia summè latitet, vix quoq; aliquid habetur Differentia loco quod poni queat. Dicimus tamen & cum Viris experientissimis statuimus, Principiū hoc esse liquorem quendam spirituosum, vel Spiritum, qui tamen à Sulphure subtili ac Sale volatili, ut Solus conspiciatur, vix ac ne vix quidem separari possit. Non autem negandus est hic Spiritus, eò quod oculos non incurrit. Nam nec ignis purus, nec aër, nec Spiritus in animalium corporibus, nec multa alia, quæ tamen rerum naturæ pars sunt multò maxima & præstantissima, & à quibus reliqua, quæ videntur, omnem suam vim obtinent, oculis conspiciuntur.

XXXVIII. Cæterum, cum ut formæ, ita & operationes diversæ in rebus naturalibus sint; Ita & hic Spiritus sese habet: & ut nobilitate vel ignobilitate Formæ omnes inter se differunt; ita & hic Spiritus. Atq; sic actiones à totâ substantia dictas, & occultas qualitates, huic Spiritui, tanquam proprio subjecto, attribuimus, qui in venenis est veneficus, in purgantibus purgans, in narcoticis narcoticus, in aliis aliis. Non enim audiendi sunt Illi, qui qualitates occultas fieri dicunt ex singulari & non dicibili, dubio procul etiam non intelligibili, Elementorum mistione & remissione; siquidem aliàs è quolibet fieret quodlibet: verùm propius hic ad rem accedunt Chymici, quando occultarum qualitatum causam Mercurium esse adstruunt.

XXXIX. Si quis verò temerariam Entium multiplicationem præcavendi studiò Mercurium vocitare velit Spiritum illum & ἄσιαν τῶ τῶν ἀσπρων στοιχείων ἀνάλογον; cum eò, quia eadem definitione gaudeat, nō admodum litigabimus. Licet enim Chymi-

ci quidam vitale Sulphur id, quod Aristotelici calidum innatum, nominant; tamen cum calidum innatum in animalibus corpus simplex non sit, sed humido primigenio, insito Spiritu & calore constet; videmus Eos calidum innatum Sulphur quandoque appellasse, nihilominus verò & Mercurium suum ita descripsisse, ut eundem calido innato etiam inesse sat perspicuè indicaverint. Ac proinde cum calidum innatum utroque constet, nunc ab hoc nunc ab illo id denominare nihil impedit.

XL. *Hæc sunt, quæ de Principiis Chymicis ex Magnifici Dn. D. Sennerti aureo verè libro de Chymicorum cum Aristotelicis & Galenicis consensu ac dissensu, ut & ex Dn. Præsidis Excellentissimi atque Clarissimi Institutionibus Physicis depromere & liberalis exercitii gratiâ brevissimè, quoad fieri potuit, proponere placuit.*

CORONIDIS LOCO

Quæritur.

An Principia Chymica sint Species Mundi?

Negatur. Nam quicquid non separatim à quâcunque re aliâ existit, ita, ut obtineat propriū Esse & ab aliis speciebus distinctum, illud nō est species Mundi. De Principiis Chymicis verum est Prius, Ergo & Posterius. Minorem, Major enim sat clara est, probo, quia hæc Principia non propter se, sed propter alia facta sunt, scilicet ut ex illis variè mistis varia corpora prodirent. Etsi namque Creator ea suō genere perfecta condidit, quippè suas formas, per quas sunt, quod sunt, habent; non tamen separatim & sui gratiâ condidit, sed aliis rebus concreavit, ut iis materiam præbeant. Mundum non integrant hæc Principia, sed Mixtum saltem intrant. Integrare quidem mundum videntur eō ipsō, quō Mistum intrant; verum hoc non sui, sed alterius ratione, corporis nempe, ad quod constituendum concurrunt, faciunt. Nec quis sibi persuadeat, quod resolutionum beneficiâ hæc Principia separatim existant. Nam corpora illa, quæ à Chymicis exhibentur, non sunt pura Principia Chymica, sed Mixta, in quibus unum illorum Principiorum prævalet & abundat, à quō denominatio fit. Neque hoc illorum

doctrinae quicquam detrahit. Sufficit, si obtineant, dari naturas horum Principiorum simplicissimas, quæ nunc minus, nunc plus aliarum rerum admistum habeant.

Concluditur ex Senecâ.

Miraris, si nondum sapientia omne opus suum implevit? Nondum tota se nequitia protulit. Adhuc nascitur, & huic omnes operam damus: huic oculi nostri, huic manus serviunt. Ad sapientiam quis accedit? Quis dignam judicat, nisi quam in transitu noverit? Quis Philosophiam, aut ullum liberale respicit studium, nisi cum ludi intercalantur, cum aliquis pluvius intervenit dies quem perdere licet? Itaque, tot familiae philosophorum, sine successore deficiunt. Academici & veteres & minores, nullum antistitem reliquerunt. Quis est qui tradat præcepta Pyrrhonis? Pythagorica illa invidiosa turba schola, præceptorum non invenit. Sextiorum nova & Romani roboris secta, inter initia sua, cum magno impetu cœpisset, extincta est. At quantum curam laboratur, ne cuius pantomimi nomen intercidat? Stat per successores Pyladis & Patilli domus: harum partium multi discipuli sunt, multique doctores. Privatim urbe tota sonat pulpitem. In hoc viri, in hoc feminae tripudiant. Mares inter se uxoresque contendunt, uter det latus illis. Deinde sub personam, cum diu trita frons est, transitur ad ganeam: Philosophia nulla cura est. Itaque adeo nihil invenitur, ex his quæ parum investigata antiqui reliquerunt, ut multa, quæ inventa erant, oblitterentur. At me hercules si hoc totis membris premeremus, si in hoc juvenus sobria incumberet; hoc majores dicerent, hoc minores addiscerent, vix ad fundum veniretur: in quo veritas posita est, quam nunc in summam terram, & elui manu querimus.


CHRISTO SIT GLORIA.

05 A 1764

ULB Halle

3

003 785 734




Wang

Buh







465,

PHYSICA,
CHYMICO-
M.

DUCE

bergensi

DIO

Clarissimi,

NIS Sperlingen/

toris colendi.

subjicit

ECIMATOR

USSUS.

Anno 1636.

horis matutinis.

GÆ,

MI FINCELII.